

73

TV BENE ET E R. P. ACTO. Grut. p. CCCLXXX. 7.
 Quinquennales præterea Curiam in Coloniae legebant, Decurionumque nomina in albo proponebant. Hinc in laminâ Canusinâ II Viri Quinquennales Decurionum nomina in æs incidenda curaverunt apud Fabrett. Insc. Dom. Cap. IX. n. 9. Publicorum item operum curam gesserunt, illaque aut locaverunt pecuniâ publicâ, Romanorum Cenforum exemplo, quorum alter A. U. DLXXX. tot præclara Opera Pisauri facienda locavit Livio teste lib. XLI., aut suâ impensâ fecerunt, ut constat ex veteri Inscriptioe Grut. pag. MXX. 5., emendatius editâ in Collection. Donii Cl. II. 17., ad quam vide ibi Cl. Gorii Annotationem.

Hæc munera Quinquennialium. Præterea multæ dictionem illos habuisse constat ex leg. 1. titul. 3. lib. XIII. Cod. Theod. quâ Constantinus Medicis, & Professoribus immunitatem tribuit. *Si quis, inquit, eos vexaverit, centum millia nummorum arario inferat a Magistratibus vel Quinquennialibus exactus.* Hinc jurisdictionis etiam insignia Quinquennialibus concessa, non est cur dubitemus, lictores præsertim cum fascibus, ut ex laudato Apuleii loco Velferus lib. V. Antiq. August. adstruit. *Quinquenniali Magistratui, inquit Apulejus, fuerat destinatus, & ut splendori capessendorum responderet fascium, &c.* Sed quoniam ex hoc Apuleii loco fasces II Viris prælatas, adeoque non de Quinquennialibus, nempe Cenforibus, sed de quinquennialibus Duumviris Apulejum intellexisse Norisius Diss. I. c. 3. contendit, Velferi partes suscipiendæ mihi sunt, & aperte demonstrandum, Apulejum Quinquenniali Magistratui, hoc est Censuræ, non Duumviratui quinquenniali Thyatum destinatum scripsisse. Id ut faciam, doctorum prius Virorum sententiâ firmatam opinionem conveillere opus mihi est. Panvinus Ant. Ver. lib. II. Cap. XII., Ursatus de Not. Rom. Pancirol. de Magistr. Munic. Cap. VIII. pluresque alii, Duumviros aliquando ad quinquennium creatos fuisse putaverunt, idcirco in vetustis Inscriptioibus Quinquennales appellatos, II VIR. QVINQ., quod per quinquennium in eo Magistratu fuerint. Hujus sententiæ errorem notavit jampridem loco laudato Velferus, & recte Duumviratum a Quinquennialitate distinguit. Duo enim diversa munera in iis Inscriptioibus designantur, Duumviratus nempe, & Quinquennialitas, seu Censura Colonica. Hinc, quia Quinquennales dicebantur sæpe Duumviri Quinquennales, ut supra ostendimus, addebant aliquando I. D. *Juri dicundo, ita*

K

II